

Nomothesia ecclesiae Christianae ex certis principiis deducta & moderate vindicata

Autor(en): **Myrtetus-Montanus, Salomon**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 6

PDF erstellt am: **21.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394601>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Nomothesia
Ecclesiæ Christianæ

ex certis Principiis

Deducta & moderate vindicata.

Auctore

GRAT. SALOMONE MYRTETO - MONTANO.

PRÆFATIO.

Superiori anno Lucem vidit *Idea Nomothesiæ Ecclesiasticæ, Systematis Hierarchicæ Fundamentis innixa, contraque Hypotheses & Crisin Puffendorffii, Pfaffii, Böhmeri, aliorumque modeste, ut Titulus habet, asserita.* Thema hoc in Ecclesia Christiana gravissimi momenti est: Uti se habet Nomothesia, talis est Ecclesia & ejus Regimen. Quocirca omni, qua licet, ratione contendendum, ut Nomothesia Ecclesiæ Christianæ certis & divinis innitatur Fundamentis; rescindantur quæ his adversantur; pure Ecclesiastica Libertati relinquuntur. Singulariter æstimamus primam Ideam, quam Disertationis Auctor tradidit, scil: **TALEM ESSE DEBERE, QUALEM IPSE SERVATOR IN SACRIS LITTERIS RELIQUIT.** O quantum bonum! Quantum commodum! Si hæc Idea

in Ecclesia Christiana dominaretur ! Contentiones, bella, quæ nunc grassantur eamque perdunt, minuerentur & tandem cessarent; subsequeretur Status Ecclesiæ Christianæ pacificus, saltem tolerans, Idea hac prævalente. Reliqui Characteres Nomothesiæ Christianæ ad hunc fundamentalem, radicalem, generalem ita essent instituendi, conformandi, corrigendi, ut nihil continerent, quod huic adversaretur, eumque læderet, quin prorsus inter se conspirarent, hunc promoverent, & ad singulares usus referrent. Æquissimum, ut Doctrina Filii Dei, Servatoris nostri, primum & dominantem habeat locum. Iniquum vero, si Homines, si Reges, si Ministri Ecclesiæ, quicumque illi, quicquam statuunt, quod Doctrinæ Christi contrariatur. Talis Ecclesia non esset *Regnum Dei*, *Regnum Cælorum*, sed *Regnum Hominum*, *Regnum Terrestris*, quod vero animam Nomothesiæ Christianæ tolleret. Imperator terrestris solus in Regno suo imperat, Leges fert : Non concedit, ut sint Coimperatores, Conlegislatores. Ministri ejus, etiam summi, Legibus Imperii subiecti vivunt, pro Legibus Imperii stant, certant, & si opus, explicationem petunt a solo Imperatore. Annon hæc Gloria facta tectaque esse debet Regi Ecclesiæ, qui mox terram relicturus Ecclesiæ militanti Imperium suum universale, divinum, Potestatem Legislatoriam sibi soli reservatam cum

Pro-

promissione Præsentia & Auxilii sui usque ad finem mundi proposuit, intimavitque: *Mihi data est omnis Potestas in Cælo & in Terra.* Usurus hac Potestate in Terra addit: *Proficiscimini igitur, Discipulos facite omnes Gentes - - - Docete illos servare omnia, quæ vobis præcepi; Et ecce! Ego vobiscum per omnes dies usque ad consummationem Seculorum.* Verba hæc præscindunt omnia cogitata de absentia Christi Regis ab Ecclesia militante; de necessitate alius Capitis visibilis substituendi; de auctoritate Petri & multo magis Successorum cum potestate Leges ferendi; de præeminentia cujusdam Apostoli, cui reliqui vel futuri Pastores subjecti esse debeant. Si talia ex Voluntate Domini nostri Jesu Christi in Regno suo obtinere deberent, maxima oportunitas, imo tantum non necessitas fuisset monendi hac occasione, qua terram reliquit, qua de Regimine Ecclesiæ militantis voluntatem suam ultimam revelavit.

Publicata prædicta Dissertatione, Providentia Numinis excitatus sum ad hanc *Nomothesium Ecclesiæ Christianæ* conscribendam, optans, sperans, exspectans ædificationem. Quantum per vires licuit, contendi solidis eam probare argumentis, ac, ubi opus, moderate vindicare, missis convitiis adversus contrasentientes. Vivimus ea tempora, quibus Stylus mordax Sacra ac Religiones, earumque Professores calumniose traducens magis & magis

gis in contemptum abit, nec quempiam movet, nisi cæcos assectatores, Veritatis ignaros, non avidos.

Scriptum hoc circumstantiis poscentibus partitim publicandum. Prima Parte tradetur Præstantia hujus Thematis; Dein status mentis legitimus eorum, qui Nomothesium hanc indagare, explorare, probare volunt. Quare omne Partium Studium longe abesse debet. In testimonium Æquitatis probabuntur, improbabitur quædam, quæ ab Auctore *Idea Nomothesium Ecclesiasticæ Systematis Hierarchici Fundamenti innixæ* probata & improbata, vel alia, quantum licet, commoda distinctione mitigabuntur. Parte secunda Nomothesium Christianæ Principia incerta, falsa proferentur & refutabuntur. Parte tertia Principium certum & verum, tum in Genere, tum in Specie indicabitur & adstruetur. Sed quarta *Ἐπιτηδεύσις* feretur de Statutis Ecclesiæ veræ Nomothesium contrariis vel non contrariis, eorumque Usu, cum Spe ingentis boni in Ecclesiam Christianam redundaturi.

Sectio

Sectio Prima

Nomothesiæ Ecclesiæ Christianæ.

I.

Nomothesiæ Ecclesiæ Christianæ est Thema gravissimi momenti.

NAm nulla Societas absque Legibus & earum observatione consistere potest. Societas, in qua nullæ Leges, vel si Leges impune violantur, ac unusquisque agit, quod sibi videtur, officia erga Proximum negligit, lædit; Nemo tutus est in ejusmodi Societate. Miserrima erant tempora in Israël, in quibus *nullus Rex*. Videatur *Hist. Judicum C. XVII. 6. XIX. 25.* In illa vero Societate tuto & feliciter vivitur, quæ innititur sapientibus, justis, æquis & salutaribus Legibus: quæ Sociis publicantur & curate observandæ injunguntur: quarum violatio a Capite convenienter Legibus punitur. Quo sanctior & amplior Societas, tanto magis ejus edicta sunt servanda. Societas Ecclesiæ Dei si non communi consensu, saltem plurimorum, imo omnium verorum Christianorum, alias quasvis longe superat, & per totam terram diffusa est. Necessè est naturam ejus nosse, Legislatorem, ejus Leges venerari & præstare, morigeros tueri, in transgressores animadvertere. Crimen est Leges ignorare, majus negligere, violare, maximum Auctoritatem Legislatoris non venerari, Conlegislatores ad latus ejus ponere, ab his in rebus Religionis simpliciter dependere. Ipsa quoque Oeconomia Mosaica luculenter probat. Tum dominata erat *Theocratia*.

Angelus

Angelus Jehova Leges dederat, auxerat, exposuerat, violatas gravissime vindicaverat. Moses, summus licet Minister, nullas Leges dederat, in casibus raris, dubiis Os Legislatoris consuluerat, ab eo dependebat, nihil pro propria definiverat auctoritate Lev. XXIV. 13. 14. Num. XXVII. 5. Mose defuncto Pontifex casus Reipublicæ Deo decidendos proposuerat, acceperatque per Urim & Tummim divinas Decisiones Num. XXVII. 21. Synedrium, cuius Potestas sub. V. Testamento magna erat, cum toto Populo Legibus divinis quidquam addendi aut adimendi nullam habuerat copiam: *Quicquid ego vobis precipio, id observabitis, ut faciatis: Non addes ei, non adimes de eo.* Deut. XII. 32. vel XIII. 1. In Ecclesia N. Testamenti, quæ singulariter audit Regnum Dei, Apostoli, summi Ministri Domini Jesu Christi, sancte sibi cavebant a dominio in gregem Dei, nihil auctoritate propria addiderant Doctrinæ Christi vel ademerant: *Si quis addet (Verbis Prophetiæ hujus Libri) Deus addet ei Plagas scriptas in Libro hoc. Et si quis adimet a Verbis Libri hujus Prophetiæ, Deus adimet Portionem ejus a Libro Vitæ* Apoc. XXII. 18, 19. Apostolus Paulus severe scribit: *Si nos vel Angelus ex Cælo evangelizaret vobis præter id, quod vobis evangelizavimus, Anathema sit* Gal. I. 8. *Non ausus eram quidquam loqui præter ea, quæ Christus per me effecerat* Rom. XV. 18. Non mirum. Rex terrestris minime tolerat Con-Regem vel etiam Vicarium, quem non ipse constituit, vel qui propria auctoritate Leges fert, qui Subditos simpliciter sibi subditos reddit. Quanto minus Rex Cælestis, Regum Rex, æmulus Gloriæ suæ a Patre solus Dominus declaratus Act. II. 36. ab Ecclesia quoque agnitus.

Jehova

177

Jehova Judex noster. Jehova Legislatoꝛ noster. Jehova Rex noster. Hic salvabit nos. Jes. XXXIII. 22. Ipse de se prædicat: MIHI data est omnis Potestas in Cælo & Terra. Docete servare omnia, quæ vobis præcepi Matth. XXVIII: 18, 19:

§. II.

Quare Thema hoc tractandum in Timore Dei, cum omni sollicitudine, absque Studio Partium, Affectibus Iræ & Amoris particularis, juxta certa Principia.

Est enim gravissimi momenti. Agitur de Dominio Jesu Christi, auctoritate Ejus Legislatoꝛia, expositoria, decisoria & vindicatoria in Ecclesia Christiana. An hæc solius Dei Filii sint? An etiam alii potestatem habeant Leges cum auctoritate ferendi, exponendi, Controversias Fidei decidendi, in contumaces animadvertendi? & quoniam illi? Quam gravis hæc Quæstio vel disce a minori ad majus. Quæstionem talem move, discute, coram Rege terrestri throno suo insidente, præpotente. An feret disquisitionem contra Jus & Statutum suum, pro proprio Subditorum arbitrio, ex Studio Partium? Certe non. Si ullibi valet, hac in Quæstione valet, Deus gratiosè aspicit *תַּרְוָה* *trepidantem ad Verbum* divinum Jes. LXVI. 2. ut ex animo vereatur nihil asserere, quod Verbo Divino adversatur; Asserere tantum quod cum eo convenit. Quum contra Facies Dei terribilis stet contra audaces, Dominium Ecclesiæ dividentes Filium Dei inter & Homines, ejus Dominium restringentes ad Ecclesiam triumphantem, horum extendentes ad Ecclesiam militantem ob fictum defectum Præsentiaë omnipræsentiis Domini

ni Matth. XXVIII. 20. Est ergo tractandum in timore Dei. Idcirco *cum omni Sollicitudine*, quæ possibilis est, ut Quæstio tanti momenti ex Voluntate summi & unici Domini, Filii Dei, cognoscatur, decidatur. Intentio poscitur pura, unice veritatem spectans, & quærens precibus, scrutinio Scripturæ, rationes pensitando, cum Fratribus in Christo colloquendo. Placet *Συζητήσεως* Hierosolymitana Act. XV. Unica Quæstio: *An Salus speranda absque Circumcisione* in controversiam vocabatur. Quid tum factum? An auctoritate unius Episcopi vel etiam Apostoli, aut Petri decisa est? Minime. Nuntii mittebantur Hierosolymam *ad APOSTOLOS ET SENIORES*. Nuntii recipiebantur ab *Ecclesia, Apostolis & Senioribus* v. 4, 5. Status Controversiæ pro & contra proponebatur v. 4, 5. Tum Causa cognoscebatur ab Apostolis & Senioribus v. 6. Petrus primus suffragium suum generale dederat, sed absque Auctoritate Pontificali, provocans ad experientiam in Via Dei cum Gentibus conversis v. 7. - 12. Tum addebatur Sermo Pauli & Barnabæ confirmans Petri suffragium. Postea Jacobus dederat Suffragium ex sacris confirmatum, v. 13. - 19. idque speciale 19, 20. in quo omnes *ὁμοθυμαδόν* acquieverant, *Apostoli, Seniores cum tota Ecclesia* v. 22, 23. Quod unanime conclusum etiam Spiritui S. adscriptum erat v. 28. Quando vero Quæstio movetur de tota *Νομοθεσίᾳ* Ecclesiæ Christianæ, maxima adhibenda est Sollicitudo. Controversia a Partibus libere proponenda, Argumentis, ut controvertentes utile judicant, adstruenda, sed proponenda non uni, Petro veluti, sed omnibus Apostolis sive Doctolibus,

ribus, saltem qui adfunt, omnibus Senioribus, imo omnibus Fratribus. Momentis Controversiæ auditis instituitur examen, Petro vel qui præfidet, facile primas partes in Examine damus, sed ad argumentandum, non cum Auctoritate decidendum. Reliquis omnibus libertas est loquendi, examinandi, probandi. Libere loquatur Jacobus, Sententiam suam probet ex Scriptura, formet Conclusum, quod tamen non Auctoritativum sit, sed Demonstrativum ad Conscientiam, ob Loca Scripturæ & Experientiam, ut reliqui libere consentiant, ut Acta vere sequentem in modum claudere queant: *Τότε ἔδοξε, Tum visum est Apostolis & Senioribus cum tota Ecclesia v. 22. & 25. Visum est Spiritui S. & nobis.* Tractandum est

Tertio absque Studio Partium vel Sectæ, cui quis ita addictus est, ut vel juramento coactus non aliter profiteri aut docere valeat, quam hæc publice statuit, vel ex aliis caussis rationale examen instituere pertinaciter averfatur v. g. Ævo Christi tres erant Partes vel Sectæ in Ecclesia Judaica; Pharisæica, Sadducæa, Essena. Qui absque ratione Placitis Sectæ suæ tenaciter adhæret, nihil libere examinat, aliorum Dogmata simpliciter rejicit, dicitque: *Mea Pars vel Secta sola pro Veritate, Pietate, Cultu &c. stat.* Aliæ omnes Heterodoxæ, Hæreticæ sunt. Hodie, ut notum, Christianismus in plures Partes divisus est; In Partem Catholicam, Lutheranam, Reformatam. Plures, maxime Clerici, juramento atque etiam gravissimis Pœnis Ecclesiasticis ligati sunt ad non aliter profiteri, docendum, quam quod Pars, cui addicti sunt, vult, statuit. Qui vel in minimo aliter loquitur, in majori periculo est, quam si Sce-

lus aliquod enorme patraffet. Quis non videt? imo quis non palpat, ejusmodi Studia Partium omnem ad Veritates indagandas præcludere aditum? Sectas inter Christianos magis & magis indurari, immortales fieri, Thesin ejusmodi Ecclesiæ nihil habere quo se commendet ad Conscientiam? Rebus suis majori Providentia consulunt Mundani, Mercatores. Si enim horum quis Aurum, Argentum possidet genuinum, liberum relinquit Judicium cujuscunque Religionis Mercatori, etiam Judæo, Turcæ, Indo. Omnes in Mercatura paululum exercitati in eodem Sensu conveniunt. Si qui non convenirent, a reliquis irriderentur, ceu Metalli probi ignari, vel haberentur malæ Fidei Seductores.

Studiosi Partium inepti sunt ad Veritates ingenue scrutandum. Quare huic Parti addictus est? Non vult, non audet a Placitis Partis suæ recedere. Talis ne quidem dignus videtur, ut cum illo Sermo de Veritatibus Evangelii instituat. Vel quare Sermonem instituerem? Firmiter statuit Parti suæ adhærere, non libere & coram Deo alios audire, imo gravi juramento se obstrinxit ad non aliter loquendum, profitendum. Cui usui *Συζητησις*? Juravit, se non aliter docere velle. Juravit, se contrariam Thesin vere examinare nolle, se eam in æternum rejicere velle. Relinquatur talis obstinatus Pertinaciæ suæ. Certissimum est, talem Deum, Verbum, Lumen Conscientiæ non revereri, haud esse sollicitum de *Νομοθεσίᾳ* Christiana cognoscenda. Sollicitus tantum est de *Νομοθεσίᾳ*, quam Pars sua statuit, tenaciter tenenda. Vere avidus Veritatis nullam Partem in Rebus Religionis humanam curat.

Amicus

Amicus est Plato; Amicus est Aristoteles, sed magis Amica Veritas. Amicus Superintendens; Amicus Antistes, sed magis Amica Veritas in Sacris, quæ se ad Conscientiam commendat. Sed dices: *Vide, ne erres. Sapienter mones. Mone quoque te ipsum. Ideo ego Studia Partium evito. Si hos cæcus sequor, tunc in summo Periculo Seductionis versor. Multi Pseudoprophetae in Mundum intrarunt. I, Joh. IV. 1. Spem quoque habeo Deum veritatis non daturum efficaciam Errori, si animo integro Veritatem quaero II. Thess. II. 10, 11, 12. Providum Numen instruxit Aurum, Argentum, characteribus essentialibus ad discernendum a scoriis vel auro, argento, adulterino. An Veritas Evangelica non etiam instructa Characteribus suis? An Veritas mendacio vel errori adeo similis est, ut adhibita opera discerni nequeat? Minime. Quantum discrimen inter Lucem & Tenebras, tantum Veritatem inter & Errorem. Vide Johannem passim in prima, quam reliquit, Epistola. Solus cæcus, & qui tegmen oculis Mentis imponi sinit, non videt. Unde tractandum*

Quarto *absque Affectibus Iræ & particularis Amoris.* Convenit cum antecedente Requisito. Pars communiter cæca amat Partem suam. Cæca quoque odio habet Partes alias. Ex Amore cæce æstimat vel saltem metuit Theses Theologicas, quas propria Pars venditat: contra statim rejicit vel certe suspectas habet, si non Animo, saltem Ore, quas aliæ proponunt. Commune & verissimum Dictum est: *Affectus impedire, quominus verum cernere queamus.* Id, quod in genere verum est de Affectibus appetentibus & aver-

tibus, speciatim Amore & Odio. Hic effuse amat P. *Benedictum*; Alter *Lutherum*; Tertius *Calvinum*. Unicuique verissima, optima videntur publicata vel ab illo, vel ab isto, vel ab hoc. Quare? Nominis Amor, Æstimatio vel Metus. Vice versa. Suspecta, Heterodoxa, Hæretica alia omnia sunt. Quare? An legisti, audivisti, perpendisti? Non, Nequidem licet audire, legere, perpendere! Quæ ergo Ratio? Auctor est exosus. Est Catholicus; Est Lutheranus; Est Reformatus. At sapiens & avidus non quærit; Quis concionatus fuerit? Quis Librum scripserit? sed Quid? An conveniat cum Evangelio? An se commendet ad Conscientiam? An ædificet in Fide? Hic, quisquis sit, amandus, æstimandus. Fides ei habenda. Non amo, non æstimo, nec etiam odio habeo aut rejicio Personam in se consideratam, sed propter Doctrinam, Mores, Cultum. Probo quam maxime cogitata *Rhenferdii, Professoris Franequerani Celeberrimi* in Præfatione præmissa *Annotationibus in V. Test. & in Epist. ad Ephesios*; scil. Libros esse publicandos absque Nominis Auctoris, Loco, Censura, Approbatione, si quosdam excipis Casus. Tum præscinduntur Affectus, Amor, Odium. Perplacuit, quod refert Venerandus *Antonius, Professor olim Hallensis*, qui, ceu Præco Itinerarius cum quodam Principe Saxonæ in Hispaniam profectus erat, atque ad Bibliothecam Regiam perlustrandam. Tum quæsiverat ex Bibliothecario: Quinam inter tot Libros sit præstantissimus? Bibliothecarius porrexit Arndtii *Verum Christianismum, des Arndts wahres Christenthum*, sed Titulo & Fine carentem. Scil. pia Fraus obtinet in Hispania, Protestantes
vel

vel occulti Veritatis Evangelicæ Amatores, qui ibi Iter faciunt, aut Regnum inhabitant trepidant-que ob. S. *Officium Inquisitionis*, studio Libros bonos Capite & Fine privant, quo Auctores eorum Protestantes ignorentur. Ex tali numero erat *Liber Arndtii* dictus, qui mox Hæreticus habitus, vel etiam combustus esset, si Auctor cognitus fuisset Minister Evangelii Protestans.

Quare simpliciter mittendæ sunt omnes Auctoritates humanæ in inquirenda tanti momenti Quæstione de *Nomothesia Ecclesiæ Christianæ*. Sapientissime & verissime Doctor Cœlestis: *Quomodo vos potestis credere Gloriam a vobis invicem accipientes, & Gloriam, quæ a solo Deo, non quaeritis* Joh. V. 44. Exemplum prostat Joh. XII. 42, 43.

Quod inferius ex professo tractandum, hic digito tantum ostendo, cum Auctoritate humana haud consistere posse Nomothesiam Christianam. Auctoritas humana vel est Politica, vel est Ecclesiastica. Si Auctoritas humana Principium est Nomothesiæ Christianæ, sequitur Principium haud esse Auctoritatem Dei in sacris loquentis; quæ vero, quod inferius probandum, revera est. Si Auctoritas Paterna, Politica, Ecclesiastica Principium Nomothesiæ Christianæ est, tum quisque Pater, quodlibet Regimen Politicum, quælibet Ecclesia cum Auctoritate mandaret, ut Liberi, Subditi, Membra Ecclesiæ crederent, profiterentur, Deum colerent, prouti mandatur. Ita tot essent Nomothesiæ Ecclesiæ, quot Parentes, aut quot Magistratus, aut quot Ecclesiæ. Quam Auctoritatem habet hic Pater, hic Magistratus, hæc Ecclesia, habent quoque alii Parentes, alii Magistratus, aliæ Ecclesiæ. Vel quare non? Forfan di-

ees: Nonnisi Pater, Magistratus, Ecclesia vere fidelis hanc Auctoritatem habet. Bene. Sed convince prius omnes alios Parentes, Magistratus, Ecclesias, vel coge, ut libere fateantur, se vere fideles non esse; sed ut dixi de Auctoritate humana in Nomothesia Christiana inferius ex professo.

§. III.

Antequam vero progredior ad Principia Nomothesiæ Christianæ incerta, falsa destruenda, adstruendum vero verum: AUCTORI MEMORATÆ DISSERTATIONIS publicum præibo exemplum me studia Partium hoc in Themate evitare probando, improbando quædam controversa, quæ ipse probat, improbatque. Alia, quantum licet, commoda explicatione mitigabo.

Non ex iis sum, qui toti in eo sunt, ut in Partem adversam nonnisi Errores quærant, fingant. Plus quam lyncei sæpius errorem, ubi nullus est, vident. Quantum hinc malum! Affectus carnales, Lites, Dissidia excitantur, aluntur, promoventur. Præstantius longe est vera, bona ceu vera, bona habere, facit ad Amicitiam, Pacem inter Fratres, quæ excellens Bonum est. Laudo illos, qui, quantum absque Veritatis dispendio fieri licet, cuncta in meliorem Sensum interpretantur. Amor ε̄ λογίζεσθαι κακόν. I. Cor. XIII. 5. Talem animum puto quoque esse testandum erga illos, qui extra Ecclesiam nostram sunt. *Veritas in Dissidente laudanda est.* Haud video consultum esse, majus Dissidium & Inimicitiam sine Causa intendere. Quin optandum, ut, quando Unio non est speranda, attamen Animi a tanta acerbitate

tate remitterent, & attentiori mente Argumenta pro & contra perpenderent.

§. IV.

Omniū primo cum Auctore improbamus notam quorundam Politicorum Regulam: CUJUS EST REGIO, EJUS EST RELIGIO. Probamus danda Cæsari, quæ Cæsaris. Sed & Deo, quæ Dei. Summis Magistratibus ex Conscientia subjecti sumus, usque ad Aras, non contra eas.

Regula enim hæc e Diametro adversatur Scripturæ, speciatim N. Testamento, Conscientiis, Naturæ Rei, Securitati, Paci, Religionibus quibusvis, Regibus ipsis.

Adversatur Scripturæ: maxime Evangelio. Illi: Deus semper a Populo suo postulavit, ut, ubicunque vivant, non aliam tenerent Religionem, quam Divinam. Constat ex Decalogo, fundamento Fœderis cum Deo Exod. XX. 1. Ego sum Jehova Deus tuus. Vel an Deus dedit Decalogum, ut observaretur nonnisi in Deserto, vel tantum in Canaan, quoad Israël subjectus Regibus propriis fidelibus? Certe non. Notabilis est Locus Jer. X. 11. Judæis deportandis in Babyloniam sequens datur Monitum: Sic dicetis (in Babylonia): Dii, qui Cælum & Terram non condiderunt, pereant de Terra, & de his, quæ sub Cælo. Et quod notandum, hoc solum Comma dabatur Lingua Chaldaica. Ille ipse Propheta, qui Nomine Dei Judæis præceperat, ut peterent Babyloniam, gravissime eosdem dehortatus erat a Religione Regis Babyloniæ. Hinc Populus Dei gravissimas dede-

rat Pœnas, relinquendo Religionem Divinam, profitendo Religionem ex Placitis Regum. Exemplum notorium in X. Tribubus Israel Deum colentibus ex præcepto Jeroboami, ob causas Politicas propriam Religionem formantis. Jeroboamus hic inter Politicos princeps erat statuens: *Cujus est Regio, ejus est Religio.* Quæ vero Regula X. Tribubus horrenda Judicia attulerat. *Huic.* Præsuppono mihi rem esse cum Christianis, Jesum Christum summum & unicum Doctorem Ecclesiæ Christianæ agnoscentibus, honorantibus, Evangelium ejus immediate & mediate prædicatum esse vera Fide obsignandum. Hoc præsupposito fortissime sequitur: Asertum est falsissimum. *Cujus est Regio, ejus est Religio.* Ecquomodo Mandatum dedisset de Evangelio in toto Orbe annuntiando qui tum variis Principibus subjectus erat? Ecquomodo Apostoli in omnem Terram exire poterant Evangelium Christi prædicantes? Immorigeri fuissent Magistratibus. Merito igitur ejecti, carceribus inclusi, occisi.

Christus pro omnibus, non Judæis solum, sed & Gentibus mortuus est. Pro omnibus Apoc. V. 9. I. Tim. II. 4, 6. Si pro omnibus mortuus, tum etiam omnibus Gratia parta est annuntianda. Nam Præconium Evangelii est ordinarium Medium Fidei ad Salutem. Filius Dei constitutus est Dominus & Rex omnium Potestatum, hinc etiam Regnorum, Rerumpublicarum Eph. I. 21. Si hoc Asertum verum, uti verum, sequitur quod Divinum sit Jus mittendi Servos per omnia Regna Mundi, quod *non sit Religio, cujus est Regio.*

Adversatur Conscientiis. Conscientia est Lumen Divinum, docens credenda & agenda. Accusans,

si

si quis credit, vivit, contra ea quæ dicitur, posit, improbat, hinc Accusationes intra se sentit: Si vero credit, vivit, juxta Conscientiam, sentit intra se Excusationes, Approbationes. Talis Conscientia datur, vel non datur. At datur Rom. II. 15. Si vero datur, credendum, vivendum juxta Lumen Conscientiæ, vel non. Posterius dici nequit: Nec dicet nisi Atheus vel Machiavellista. Ergo dicendum prius. Si prius valet, tum *non Religio est ejus, cujus est Regio.* Credendum enim & vivendum religiose juxta Lumen Conscientiæ. Id quod clarissimum. Dominus Regionis enim præcipit credendum & vivendum juxta Placitum suum; Solem, Lunam, Astra esse Deos; his Cultum &c. præstandum; Liberos esse Diis ad combustionem consecrandos, & quæ tot alia absurda, impia reperta sunt penes Dominos Regionis. Historia sacra abunde talia tradit Exempla. Quis dicet hæc esse credenda, Vita & Cultu exprimentia, quæ contra Lumen, Motum, Morsum Conscientiæ? Certe non alius, quam Atheus vel illi simillimus.

Adversatur Naturæ Rei. Religio enim non potest cogi. E. non cogenda. Frustra ergo cogit Princeps Subditos ad Religionem Regionis. Historia abunde docet, quot & quanti Imperatores, Reges, Principes omni modo sub Præmiis, Pœnis, Tormentis, Copiis militaribus contenderint dissentientes ad Provinciam Religionem amplectendam; veram Christianam, quam animo probaverant, abnegandam adducere. Poterant quidem Corpus dilacerare, comburere, bonis privare, in Exilium mittere, ad Triremes, Metalla damnare, sed non poterant Religionem extor-

quere. Sed dices: *Longe plurimi Vi coactiva mutati ac tandem aliam Religionem amplexi sunt.* R. Professi quidem sunt Religionem, sed impellente metu. Professio Fidei absque Fide Cordis non constituit Religionem; Hypocrisis est Rom. X: 9, 10. Experientia docuit, illos ipsos mox etiam Professionem negasse, retraxisse, aut Fuga in liberam Regionem confugisse & Libertatem Religionis quæsisse, vel etiam morti proximos confessos fuisse, se nunquam animo credidisse Religionem, quam ore profiteri cogebantur. Id quod etiam a Clericis in eminentia constitutis sæpenumero factum. Qualis hæc Religio? Hypocritica, Deo abominabilis. Ejusmodi Professores Religionis sunt Pestes Ecclesiæ & Reipublicæ.

Adversatur Securitati, Paci. Si enim Subditi coguntur ad Religionem, maxime sub gravi Pœna, Securitate & Pace, quæ fidis Subditis relinquenda est, destituentur; In metu, angore, turba vivere coguntur. Dices: *Possent sibi consulere Religionem Provinciale[m] amplectendo.* R. Non possunt. Inciderent in majorem Metum, Angorem. Tum enim accusarentur a Conscientia, Divino Accusatore, Tortore, eoque constante, æterno E. male: Consilium hoc male datum. Si Religio in Regno non est libera, tum naturaliter fit, ut excitentur, alantur Inimicitia, Contentiones, Metus, Pugnae. Conscientiosi stant pro sua, quam animus dicit, Religione. Alii contra stant, oppugnant primo Verbis, postea Verberibus.

Adversatur Religionibus quibusvis. Certum est plures & diversas dari Religiones. Quævis Pars suam præfert, veram habet, non permittit, ut propria

pria prostituatur, multo minus cum auctoritate, ac nova injungatur. Ethnicus ait: *Religio mea vera.* Turca hoc ipsum affirmat. Affirmat Judæus, Reformatus, Lutheranus, Catholicus. Quid nunc agendum? Vera præferenda, reliqui Vi cogendi, ut ad veram accedant? Imprudentissime! Quævis enim Religio clamat: *Mea vera est.* Hac igitur ratione quævis Vi coactiva reliquas eo trahere posset, ut ad se accederent. Quantum Malum in Orbe? Nemo securus. Omnes in Periculo. Religio contra Religionem haberet Jus insurgendi, dominandi in Conscientias, dissentientes puniendi. Sed instabis: *Hoc Jus unice penes veram est; non reliquas.* Stulte! Annon audis unamquamque clamare: *Mea vera est.* Ex tua Hypothesi colligit quævis Religio sibi esse jus cogendi. Prudens igitur cuique Religionem liberam relinquit, Ipse magis & magis scrutatur Veritates & Præcepta. Hinc stabilitur in Religione. Data occasione amice, modeste, rationaliter agit cum dissentiente, proponit ei Fundamenta Religionis suæ, ostendit quoque quam incerta, inania, falsa sint contrariæ Religionis. Si hic annuit. Bene. Sin minus periculo suo gaudeat Libertate Conscientiæ. Forsan sequetur tempus, quo Veritatem, quam nunc improbat, Luce Conscientiæ lucente, probaturus sit.

Atque hic erat Modus Evangelicus, quem Apostoli tenuerunt in prædicanda Religione Christiana. Longe abfuerat Vis coactiva. Oves, Arietes non insurrexerant adversus Lupos, Leones, Ursos, sed Doctrinam Cœlestem, quam acceperant, inter Judæos, Samaritanos & Gentiles in plurimas Sectas dissectos prædicaverant, &

ἀσμένως

ἀσμένως credentes in Gremium Ecclesiæ receperant Act. II. 41. Spiritus Christi, qui in iis, qui- que Mansuetudinis, Amoris, Patientiæ, Sapien- tiæ est, de Vi coactiva inferenda non cogitaverat, quin cogitaverat de Pace, Securitate omnibus re- linquenda, testanda I. Tim. II. 2.

Adversatur Regibus ipsis. Regum est Munus gra- vissimum (quale veneramur) quod Providentia Numinis acceperunt, gerere, prospicere ut Reg- num sit florentissimum; ut Subditi securi, in Pa- ce, sine Periculo, Damno vivant, ac Imperan- tibus Obsequium fide præstent. Muneris Regii haud est imperare in Conscientias, ut quod etiam impossibile est, uti plures sapientissimi Imperatores confessi sunt; hoc ipsum in causa esse, quominus Conscientiosi, optimi adeoque Subditi, in ejus- modi Regno vivant. Tales enim vel non intrans, vel exulant. Si Subditorum Religio premitur, non possunt non tale Gravamen summo Domi- no, Filio Dei ad medendum proponere, urge- re. Quales Querelæ in sinum Dei effusæ Regi- bus Terræ pergraves sunt: Tyrannide Religio- nis minuitur quoque Amor Subditorum erga Re- ges Terræ.

Dices: *Regum est pro Religione, quam profiten- tur, fervere, eam defendere & pro Viribus propagare.*
 R. Bene. Sed quæro: An quorumdam? An omnium? Si omnium, concedendum est, ut Rex Ethnicus, Turca, Christianus, Catholicus, Protestans Religionem Ethnicam, Turcicam, Christianam, Catholicam, Protestantem pro vi- ribus propaget. Quænam illæ Vires? Copiæ militares, Gladius, Brachium Carnale. Sed qua- lis hæc Religio? Non Divina, Cœlestis, sed hu- mana;

mana, carnalis. An ille, qui sedet ad Dextram Dei super omnes Principatus &c. Sibi & Regno suo Brachio divino consulere nequit? Certe valet Jes. LIX. 16. Talis Religio pro Principio haberet non Evangelium Pacis, sed Doctrinam Belli ad omnium Hominum, qui certam Religionem non profitentur, perniciem Luc. IX. 56. Si vero dicas: *Jus hoc nonnisi stat penes Reges, qui profitentur veram Religionem.* R. Annon etiam reliqui sunt Reges? Annon etiam reliqui Religiones, quas profitentur, quasque & illi veras, divinas habent, pro viribus propagabunt? Annon Vi Vim repellent? Vel an opinaris reliquos Reges Copiis suis mandaturos, ut Regi, quem tu veneraris ceu legitimum Defensorem & Propagatorem Fidei tuæ, manus victas dent, & pro lubitu Vi coactiva, terribili quoque, ad Castra vestra obtorto collo rapiantur? Profecto non. Si tu opinaris Regem Hispaniæ hoc Jus habere, Rex Sueciæ non dubitat, quin idem habeat. Miror dari Homines rationales, qui hanc Consequentiam videre nolint.

Exulet ergo Regula varie falsa & exitiosa: *Cujus est Regio, ejus est Religio.* Dominetur Christi vere aurea & pacifica: *Date Cæsari, quæ Cæsaris; & Deo, quæ Dei.* Sed exulet universaliter, non particulariter. Non in Regionibus Protestantium tantum, sed etiam Catholicorum. Non penes Reges Terræ solum, sed & ac maxime penes Episcopos, Pontificem. Si Pontifex Jura sua & Jurisdictionem armis tuetur, quod *Auct. Disfert.* non negare potest pag. 15. quis improbare potest Gladium Magistratus Politici circa sacra? Admodum hebes Gladius Petri, quem a Paulo commodavit,

modavit, quo memoratus *Auctor* Arma Pontificis carnalia defendere vult, dicit: Ille ob Gladium suum reprehensus a Domino; Hic vero Gladio usus erat infidelis, Apostolus factus scribit: *Arma Militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, II. Cor. X. 4.*

§. V.

Probamus secundo Verba Auctoris, quæ exstant pag. 58. *Habes hic, Lector Candide! Ideam nostram de Nomothesia Ecclesiastica, Ideam, qualem Ipse Servator in Sacris Litteris reliquit. Adeo probamus hanc Ideam, ut inferius eam generalem fundamentalemque adstructuri & daturi simus. Quare alia hic non addo.*

§. VI.

Probamus tertio Verba Auctoris pag. 5. *SALUS ECCLESIASTICA SUPREMA LEX ESTO. Una omnium Vox est Ictorum & Theologorum. Quænam illa? Pietas & Actionum Christiano dignarum Honestas, quæ Concordia & Unione Animorum alitur ac fovetur, per LL. Ecclesiasticas præscribitur, excolitur, perficitur ad Finem supernaturalem assequendum; sive ut brevius rem exprimam: Salus Ecclesiastica efflorescit e duobus: VERA CREDENDO, RECTA AGENDO.*

Verba hæc, quæ probamus, accipimus Sensu sano, ut illa jacent, non ut possent ad hunc vel illum detorqueri. Sub *Pietate* comprehendimus veram Fidem, sine qua *Pietas* consistere nequit. Hic Sensus tanto magis valet, quia statim additur; Salutem Ecclesiasticam efflorescere: *Vera credendo.*

dendo. Leges vero Ecclesiasticas exponimus de Legibus, quæ in Sacris sive explicite sive implicite continentur.

§. VII.

Probamus quarto cum Auctore: *In Ecclesia dari Ordinem imperantium & parentum* p. 7. Improbamus cum eodem in Ecclesia *Autonomicam Libertatem seu Facultatem quidlibet impune sentiendi credendique* p. 24. Commoda tamen addita Explicatione. *Imperantes non sunt, qui Auctoritate Ecclesiæ, ut Domini Fidei, imperant, ac armis carnalibus ad Consensum & Obsequium cogunt. De his nihil in Evangelio. Sed qui in Nomine Jesu Christi secundum Doctrinam Evangelicam causas Ecclesiæ cognoscunt, decidunt, his parendum est* Hebr. XIII. 17. *Immorigeros, infideles recte ex Ecclesia ejiciunt* I. Cor. V. 13 *tales Ethnicos, Publicanos habent* Matth. XVIII 18. Certus sit *Auctor Disserat.* quod, ubi obtinet in Ecclesia nostra Anarchia, Libertinismus, Deismus, Contemptus Ministerii, Verbi & Sacramentorum, ut re vera penes plurimos obtinet (quod cum innumeris aliis tristis publice fateor) hæc non arcescenda sint a principiis Religionis protestantis. Malumus tamen patienter ferre, quæ mutari nequeunt, *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Dei.* scil. ὑπομονή sub onere, quod iusta Numinis providentia nobis imposuit, gemitus, preces, publica e suggestibus nostris *protestatio* adversus tot mala intestina, quæ graviora videntur malis, quæ ab iis, qui extra Ecclesiam nostram sunt, inferuntur, ac spes adventus Domini nostri cum *gladio oris sui* juxta verbum propheticum. Certissimum,

simum, quod Hierarchia Ecclesiæ Catholicæ auctoritate, potestate externa illustris, imo terribilis appareat. Nihilominus publica exstant documenta, quod plurimæ, variæ, graves lites circa Sacra in ea sint; Reges, Principes obsequium, quod postulatur, non præstent; ipsi ordines & Theologi inter se graviter contendant; etiam jurisconsulti catholici plurimas theses, quas *Canonistæ* defendunt, infringant. Non puto opus esse, ut hæc exemplis probentur. Ipse *Auctor Disfert.* hæc plenissime novit & subinde in *Disertationibus* conqueritur. Ex experientia adeoque habet, quod formidabilis *Hierarchia* licentiam, contentiones in propria Ecclesia compescere haud valeat. Quæ ergo ratio, quod tantopere exagitet principia potestatis spiritualis in Ecclesia protestante, tanquam autonomicam licentiam, anarchiam?

§. VIII.

Probamus quinto propositum ac spem excitatam thema hoc resecta omni verborum asperitate tractandi, ut pag. 6. *Adnitendum nobis est ante cætera ut resecta omni verborum asperitate in ipso questionis crimine conveniamus, ne, dum disceptamus, ad Orientem alter, alter ad Occidentem feramur. Modeste agamus primo de re ipsa; postea de vocabulis.* Optima verba! Unica via, quæ aditum facilem dat ad veritatem scrutandam. Asperitas, irrisiones, cachinni, scommata penes ingenuas mentes nihil valent, quam quod illas alienas constituent. Optarem quam maxime, ut propositum hoc illæsum servatum fuisset. Tanto magis, quod res *Auctori* cum politicis, ingeniis *Thomasianis*, quæ cachinnando vix ab ullo vincuntur, sint. Nolo citare,

citare, quæ hujus generis plura in *Disfert.* memorata prostant. Unicum memorabo & ipsi Auctori dijudicandum relinquo, num *omnem verborum asperitatem* refecerit. Scil. pag. 22, 23. examen instituitur de Phrasi *regere ecclesiam Dei* Act. XX. 28. Protestantes recte observant Lucam exprimere per *τρομαλνεν* *pascere*, quod Vulgatus vertit per *regere*. Facilis sum & non abnuo *pascere* notionem *regendi* continere. Modo Regimen non explicetur per absolutum durum Dominium in Conscientiam. Auctor vero presse insistit Allegoriæ Pastoris. *Non existimem illum præter Officium Pastoris agere, si in his Circumstantiis, quas antea notavit, Jus gladii sibi competere judicet, aut fustetrinodi dentes excutiat, Cerebrum illidat, exuvias & pellem detrahat Belluæ rapaci.* Hæc omnino referenda sunt ad Pastorem Ecclesiæ & ejus regimen circa oves spirituales: Nam nulla quæstio est de pastoribus ovium naturalium ratione carentium ac de modo tractandi Belluas rapaces. An vero asperius quid excogitari potest, quam pastori tribuere talem potestatem agendi contra dissentientes, vel, ut communiter flosculi sonant, Hæreticos, si qui in causa religionis verba facerent cum Catholicis. Annon ingens discrimen inter pastorem, gregem, oves naturales; & pastorem, gregem, & oves spirituales? An ergo ille agendi modus obtinet in posteriori casu, qui in priori? Quantopere Spiritus Christi dissentit? Jacobus & Joannes fervidi erant contra Samaritanos, non tamen pugnaturi contra illos armis carnalibus, sed cœlestibus. *Domine! An vis, dicamus, ut ignis descendat ex Cœlo & consumat Samaritanos?* Mansuetus Dominus increpavit illos, dixitque: *Filius Hominis non venit ad*

perdendum animas, sed ad servandum. Luc. IX: 54 - 57. Et quid tum, si truculentus Pastor Ecclesiae Romanae ita gregem suum defendere vult? Annon idem jus Pastori Ecclesiae protestantis? Quod uni iustum, alteri æquum. Certe Pastor protestans manus in sinu suo non abscondet. Et quid inde? An Regnum Dei?

§. IX.

Auctor admodum conqueritur ob duo Imputata juris Canonici; ambitionem & quæstum Cleri. Hinc citat: *Ex duplici fonte avaritia & ambitione effusum est mysterium iniquitatis per universam Ecclesiam, indeque factum, ut lex suprema ecclesiastica, salute vera Ecclesiae conculcata, unice in eo quæreretur, quidquid ad augendum [Cleri] imperium & quæstum sacrum faceret.* pag. 2. conf. pag. 15. In eo probamus querelam Auctoris; *Durum esse & iniquum vitia civium refundere in civitatem & singulorum errata in universos, crimina Clericorum detorquere in canones, perinde ac si isti ad quæstum, avaritiam, monopolium forent compositi* p. cit. Profecto si hæc argumentandi ratio valeret, actum de *εὐφροσύνη* Ecclesiae protestantis. Quot avari, superbi, imperiosi Episcopi, Consilarii ecclesiastici, Superintendentes, Pastores in hac Ecclesia reperiuntur? Ad apicem horum scelerum surrecturi, nisi impedirentur, præprimis a brachio seculari. In hoc vero versatur status controversiæ: An hæc & alia vitia ex natura canonum libere fluant? si canones talia improbant, rejiciunt, damnant; si postulant ab Ecclesia, ejusque præfectis ut animadvertant in violatores; si præcipiunt cultum, preces, sacramentorum administrationes, promotio.

motiones ecclesiasticas, omnes actus sacros, absque ære, bona conscientia ad salutem Ecclesiæ, nulum vitium in ejusmodi canones redundat. Sin minus, juste accusantur. Eju modi enim canones contrariantur Evangelio Christi & Apostolorum. Canonum hostes, qui probant Pontifices, Episcopos, Clericos promotiones ecclesiasticas, pallia, dispensationes multo ære vendere, dominatum in conscientias contra Evangelium exercere, actus communes, liberos in monopolia convertere, non possunt mendacii, injustitiæ, affectuum carnalium accusari. Fateor tamen, si talia in Ecclesia protestante vere grassantur, etiam vitiosa recte haberi, imo magis: Ecclesia protestans enim alios canones non veneratur, quam Evangelicos, turpi lucro & ambitioni adversos.

§. X.

Alia, quæ AUCTOR in memorata Disertatione habet, improbatque, commoda distinctione & explicatione videntur facile mitigari, si non prorsus tolli.

§. XI.

Auctor ægerrime fert Ecclesiam sibi sub Collegio ex Doctoribus & Auditoribus conflato. Præfert οχέσις Domus, Civitatis, Regni, ceu quæ parabola docent Hierarchicam subordinationem, cum Domus nulla sine Patrefamilias, Civitas sine Magistratu, Regnum sine Rege & Lege consistere omnino possit. Vide p. 7. & 27. Miror οχέσις collegialem tantopere Auctori sudem in oculis esse, ceu quæ non minus involvit Hierarchicam subordinationem sano sensu ac relatio Domini, Civitatis & Regni. Fundata quoque est οχέσις collegialis in Scriptura, To-

ties Deus, Filius Dei sistitur Rector Academiæ
 cœlestis, Professores Ministri, Leges divina statu-
 ta, fideles auditores genuini sub spe benedictæ insti-
 tutionis: sed mali sub interminatione pœnarum spi-
 ritualium, exclusionis ex collegio, tamen absque ar-
 mis externis, carnalibus, coactivis vid. Prov. VIII.
 IX. Matth. XI. 25. - - 28. Joh. VI. 45. II. Tim.
 I. 13, 14. II. 2. III. 5. - - fin. Hæc & similia,
 qui amant *σχέσιν collegialem*, haud negabunt: Æsti-
 mant vero eam, ut clarius doceant illos, qui ec-
 clesiam constituunt, posci avidos veritatum divi-
 narum, qui ipsi inquirent, scrutentur, probent,
 quæ se ad conscientiam demonstrant, non vero
 cogantur ea probare, profiteri, quæ alii cum
 auctoritate & gravi externa pœna postulant & tan-
 tum non modo terribili extorquent, quod *Inqui-*
sitores quotidie agunt. Aliàs *Collegium* illos, qui
 leges fundamentales negligunt, contemnunt, vio-
 lant, non impunitos dimittit. Ejicit ex Collegio
 & pro membris non habet. Cœterum abstinet a
 privatione bonorum, incarceratione, numellis,
 combustione, & aliis suppliciis. Contumaces
 non quidem tolerat in Collegio, sed tamen eos
 vivere sinit in statu politico & communi.

Parabolæ vero *Domus*, *Civitas*, *Regnum*, quas
 Auctor præfert, juxta Scripturam expositæ hoc
 ipsum docent, scil. Ecclesia *Domus* est, sed spiri-
 tualis, divina I. Tim. III. 15. Dominus & Pater
 isque unicus est Deus Christus Matth. XXIII. 9.
 Hebr. III. 6. Famuli sunt Doctores, Pastores,
 Episcopi Hebr. III. 5. II. Cor. IV. 5. Liberi
 sunt fideles, Ecclesia est Civitas, sed spiritualis,
 cœlestis Gal. IV. 26. non politica, terrestris: Con-
 sul vel Magistratus est Christus, unicum Ecclesiæ
 suæ

suæ caput Eph. I. 22. Leges sunt dogmata, quæ reliquit Matth. XXVIII. 19. 20. Ministri Ecclesiæ non sunt Domini Ecclesiæ, sunt Servi tantum. Non habent potestatem proprias leges ferendi Rom. XV. 18. I. Cor. I. 24. sed non nisi leges summi Magistratus proponendi, urgendi, ad conscientiam demonstrandi II. Cor. IV. 2. infideles non admittendi vel excludendi, sed non auctoritate humana cogendi, pecunia, libertate, vel vita privandi. Ecclesia quoque est *Regnum*, quod probamus, sed *Regnum Dei, Cælorum*. Rex est Filius Dei, isque solus. Ministri ejus non sunt Reges, vel Conreges, aut Vicarii; sed Ministri, quorum est regno servire, non leges dare, multo minus cum auctoritate externa, politica, coactiva, sub pœna carceris, gladii vel rogi.

§. XII.

Idem *Auctor* singulariter fervet pro Jurisdictione sacra, cujus nitor & robur in pœnis canonicis vide p. 42. Unde ibi ait: *Certe jurisdictio sacra sine pœnis canonicis languet, ac sine nervo est; Immo si quidquam aliud, pœnæ sceleribus inflictæ vel maxime & conservant & reparant Ecclesiæ nitorem.* At inter nos non est quæstio, num Ecclesia immorigeros, infideles plectere debeat. Quod omnino non solum conceditur, sed & probatur. Ipse Pfaffius, quem *Auctor* loco cit. allegat, scribit Excommunicationem, *si recte administratur, cœtum ecclesiasticum nitore suo plurimum restituere posse.* Quæstio tantum est de natura pœnarum. An pœnæ sint infligendæ modo regni humani terrestri, brachio seculari coactivo, privando bonis, incarcerando, relegando, vita privando, comburendo. Hoc

est quod negamus. Hæc pœnæ non sunt *Regni Dei, Cœlorum*. Ethnici, Turcæ tales pœnas infligunt, societates suas conservaturi, propagaturi, in peccantes animadversuri, de quibus in Jurisdictione sacra Evangelica ne ulla quidem. Non convenit cum natura *Regni Dei & Cœlorum*. Sine dubio regna hæc distinctissima; opposita etiam alias & alias pœnas infligunt. Si *Regnum Dei, Cœlorum* infert pœnas, quas *Regnum Hominum, Terræ*, ecquod discrimen? Ecclesia Dei punit immorigeros, conservat, defendit se iis armis, quibus Ecclesia Turcica. Annon vergit in contumeliam? Non est discrimen inter regnum Dei & hominum, cœtuum infidelium. Apostoli & primi Christiani pœnas ecclesiasticas intulerunt, sed nulla vi externa, coactiva per Magistratum, brachium seculare, opibus, domicilio, vita privando. Non nisi in nomine & potentia Jesu Christi, armis spiritualibus, reprehendendo, excommunicando, Satanæ tradendo. Omnis hæc potestas in terris exercita in Cœlo habebatur rata. Hæc vero erat spiritualis & honos Ecclesiæ, regni Dei. Si vero regnum Dei non alium nitorem, robur habet, quam regnum Turcæ, Ethnici, quam vile hoc? An dignum ut Regnum Dei & Cœlorum audiat?

Cœterum facile concedo in corrupto hodierno Christianismo longe plurimos infideles dari, qui excommunicationem & alias pœnas ex instituto Christi contemnunt & prorsus nullo habent loco. Causa est infidelitas. Metuunt non nisi visibilia, corporalia, terrestria damna, exclusionem ex ecclesia externa ob contumeliam. Spiritualia, Cœlestia, Divina non agnoscunt. Quare non mi-

rum

rum metuere tales magis jurisdictionem Prætoris rustici, quam Filii Dei & exclusionem ex Regno Cælorum. Fideles aliter credunt, metuunt Reges Terræ, sed comparate hos non metuunt, docente ipso Rege nostro Matth. X. 28. Vel errat *Auctor Disfert.* vel ego, quando putat Ecclesiæ nitorem restitui, si restituuntur pœnæ canonicæ. Firmiter judico restitutis *clavibus Regni Cælorum*, potestate spirituali gloriam & potentiam Ecclesiæ Christianæ longe illustriorem, terribiliorem futuram, quam si omnes Reges & Principes in toto orbe gladios, copias militares ad nutum Ecclesiæ prompte sisterent. Dies docebit. Quantum discrimen inter Regem cœlestem, Filium Dei & inter Reges terrestres!

§. XIII.

Auctor noster valde improbat Schismaticorum græcorum spiritum, qui, ut refert *Wietrowski*, cum jam obsidione premeretur Constantinopolis a Mahomete II dixisse feruntur: MELIUS SIBI FUTURUM SUB CIDARI TURCARUM QUAM TIARA PONTIFICIS. pag. II. Recte quidem Græcus reprehenderetur, si religionem præferret religioni christianæ absolute consideratæ. At res longe aliter se habet. Mavult *sub Cidari Turcarum vivere, quam Tiara Pontificis.* Prudentissime. Imperator Turcicus concedit Christiano Græco liberum Religionis exercitium, quod Pontifex negat, ceu qui vi externa, carnali, coactiva, modo brachium seculare ad manus sit, ad abnegationem fidei, morsum conscientiæ, torquet. Miror reprehendi Christianos Græcos, quod tamen ipsi Catholici probant. Vel annon Missionarii malunt vivere

sub imperio Ethnicorum, idololatrico, veluti in imperio Chinensi, quam sub Magistratu Christiano Protestante, qui sub gravi pœna negat exercitium Religionis Catholicæ liberum. Videat ergo *Auct. Disfert.* quam molesta sit jurisdictio Ecclesiæ Romanæ, ut Christianus Græcus magno jure præferat *Cidarim Imperatoris Turcici*, quam *Tiaram Pontificis*.

§. XIV.

Ultimum, quod hac in Sectione noto, concernit judicium Auctoris nostri de splendore jurisdictionis Ecclesiæ sub Constantino his verbis: *Quanto melius diseret Auctor noster (quem refutat) si diceret, nullo unquam tempore splendidius se exeruisse auctoritatem, jurisdictionem, hierarchicam potestatem ecclesiæ orthodoxæ, quam sub Constantino Magno. p. 17.* quod opponit judicio Antagonistæ sui adducens exempla status Ecclesiæ corrupti, præcipue ex quo religio se in aulas Imperatorum insinuaret. Maxime Constantini tempore. Antagonista hic minime negat splendorem, divitias Ecclesiæ Christianæ, jurisdictionem & potestatem Episcoporum a tempore Constantini. Sed quæritur: Annon hoc splendore, potestate, Ecclesia cum Episcopis magis & magis corrupta fuerit? Salus Ecclesiæ consistit in internis, spiritualibus, fide, pietate, humilitate, patientia, precibus, brachio spirituali; non vero in externis, pompa, divitiis, jurisdictione & potestate humana, brachio seculari. Historia ecclesiastica abunde probabit, num status Ecclesiæ ante Constantinum priori sensu florentior, sanior. Num a Constantino & postea. Verum ferendum est judicium, non apparens. Ille
Eccle-

Ecclesiæ status præferendus, qui Deo maxime placet. Vel scire licet ex Israël, qui impingatus vulgo recalcitravit contra Deum Deut. XXXII. 15. Quare ipsi Catholici tantopere laudant votum paupertatis. Clerici mendicantes induunt humilem vestem? Sine dubio quasdam habent rationes. Existimant paupertatem, humilitatem, Ecclesiam Christianam plus ornare, quam divitias & dignitates, imo has ceu Christianis periculosas, si non noxias esse.

Locus Constantini ultimus in Synodo Nicæna & verba ejus, quæ Auctor ex Rufino allegat; Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi, vos vero non potestis ab hominibus judicari, si alias vera, nimiam testantur humilitatem & adulationem Imperatoris Christiani. Non spirant Spiritum Christi, Ecclesiæ Christianæ. Potestas Ecclesiæ Christianæ spiritualis est, & communis omnibus ordinibus, ex quibus constat, ut suo loco probabimus.

T A N T U M.



Q 5

Ratio



1. Scala quatuor Pedum Fig. 2.

3.

4.

D.R. 1740